Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

sed ab hereticis Arrianis episcopum in eadem ecclesia ordinaret, essetque constitutus in tribunali, nichil curans eorum que a mulieribus excitabantur, una de virginibus Arrianorum impudentior ceteris tribunal conscendens, apprehenso vestimento sacerdotis cum illum attrahere vellet ad partem mulierum, ut ab ipsis cesus de ecclesia pelleretur, audivit ut solitus erat ipse referre: Et si ego indignus tanto sacerdotio sum, tamen non convenit te vel professionem tuam in qualemcumque sacerdotem manus inicere. Unde debes vereri iudicium dei, ne tibi aliquid contingat. Quod dictum exitus confirmavit. Nam alio die mortuam ad sepulchrum usque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Sed hoc factum non levem adversariis incussit metum, pacemque magnam ecclesie catholice in ordinato episcopo tribuit. Ordinato episcopo catholico Mediolanum reversus, ibique supradicte Iustine mulieris innumeras insidias sustinuit, que muneribus atque honoribus adversus sanctum virum oblatis populum excitabat. Sed infirmi talibus promissis decipiebantur. Promittebat enim tribunatus et diversas dignitates his qui illum de ecclesia raptum ad exilium perduxissent. Quod cum multi conarentur, sed deo prestante perficere non valerent, unus infelicior ceteris nomine Euthimius tanto furore est excitatus, ut ecclesiam sibi domum pararet, atque in eadem carrum constitueret, quo facilius raptum suppositum carpento ad exilium perduceret. Sed iniquitas eius in verticem ipsius descendit. Post annum vero eodem die quo illum rapere arbitrabatur, in eodem carpento impositus de eodem eademque domo ipse ad exilium destinatus est, reputans sibi iusto iudicio dei id in se esse conversum,

ut in eodem carpento dirigeretur ad exilium quod ipse paraverat sacerdoti. Cui non minimum solacium sacerdos prebuit, dando sumptus vel alia que erant necessaria. Sed hec confessio hominis nec mulieris furorem nec voces sonorum Arrianorum dementiam repressit. Maiore enim accensi dementia basilicam Porcianam invadere nitebantur. Fuerat etiam armatus ad custodiendas fores ecclesie exercitus, ut nemo auderet catholicam ecclesiam ingredi. Sed dominus qui de adversariis suis ecclesie sue triumphos donare consuevit, ad ecclesie sue munimentum militum corda convertit, ut adversis scutis ecclesie fores servarent, nec ingredi nec egredi ecclesiam plebem catholicam minime prohiberent. Sed nec hoc satis erat missis militibus, nisi ut etiam pro catholica fide cum plebe pariter acclamarent. Hoc in tempore primum antiphone, ymni et vigilie in ecclesia Mediolanensi celebrari ceperunt. Cuius celebritatis devotio usque in hodiernum diem non solum in eadem ecclesia, verum per omnes pene provincias occidentis manet.

Per idem tempus sancti martires Gervasius et Protasius se sacerdoti revelaverunt. Erant enim in basilica positi in qua sunt hodie corpora Naboris et Felicis martirum. Sed sancti martires Nabor et Felix celeberrime frequentabantur, Protasii vero et Gervasii martirum ut nomina ita etiam sepultura incognita erat, in tantum ut supra ipsorum sepulchra ambularent omnes qui volebant ad cancellos pervenire, quibus sanctorum Naboris et Felicis martirum ab iniuria sepulchra defendebant. Sed ubi sanctorum martirum corpora levata et in lectis posita.